



Faint, illegible handwriting on aged paper, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten numbers 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9 visible on the right edge of the page.



1674.

1. Alberti, Valentini: De ordine intentionis et executionis actuum voluntatis divinae. An scilicet: Nec ex hoc firmiter concludi possit?
2. Boehme, Johann Godfried: De figuris per chirographum.
3. Carpzov, Augustus Benedictus: De commendatione
4. Carpzovius, Augustus Benedictus: De coercionem haereticum.
5. Carpzovius, Augustus Benedictus: De observantia
6. Cyprinus, Johann: De statu et motibus Galliae in Laniensem Præsidium desinentibus
7. Ernesti, Joh. Henricus: De Zootomia parentum in Liberos.
8. Franckensteinus, Christianus Fredericus: De Alexandro et virtutibus et vitiis Magni sine characteri Alexandri.
9. Gispel, Fridr: Sylloge litterarum variarum. Allerkend Brief. etc.

1674.

10. Hammermullerus, Henr. Christoph: Desibyllis
11. Lochmann, Gottfried: De furti apud Lacedaemonios
licentia.
12. Menckenius, Otto: De jure majestatis circa venationes
13. Reckenberg, Hans: De collatione munerum publico
sive promotione
14. Gissler, Elias: De symbolis vni^{us} deinde vni^{us} Lipsia.
- ^{chez.}
^{ant.}
15^a Romanus, Paulus Franciscus: De eo, quod differat
executionem 2 Suppl. 1674 & 1748.
16. Romanus, Paulus Franciscus: De Tutelis personarum illu-
strum
- 17^a Romanus, Paulus Franciscus: Inuestigationum juridicarum:
De feudis secunda, eorum obiectum, modos constituendi
et acquirendi continens.
- 17^b Romanus, Paulus Franciscus: Inuestigationum juridicarum
De feudis tertia et ultima, eorum finem, effectum abq. contracta
continens.

1674.

18. Romanus, Paulus Franciscus: De iudiciis paganicis

19^{a et} Romanus, Paulus Franciscus: ~~De feudis~~ Paupertatis

cum iudiciis: De feudis prima, eorum definitio.
nem, divisionem, et subiectum continens, 2 Impl.

1674 n^o 1712.

20. Romanus, Paulus Franciscus: De servitutibus feudales

21. Scherzerus, Joh. Adam: Traculum Facultatum Cap. 17.

De illustrissimo divinae immutabilitatis maiestate

22. Schrencken Doerfferus, Bartholomaeus Leonhardus: De

divortio.

23. Schrencken Doerfferus, Bartholomaeus Leonhardus: De specifica-

line.

24. Stempel, Johann Augustus: De sabbato Christianorum

25^{a et} Thomassinus, Jacobus: De cautelis principum circa

colloquia et congressus mutuos. 2 Impl. 1674 i 1750

1674.

26 Thomaeus, Jacobus: De justitia et jure belli
primi Parsi ex Joh. Freintheim's Suppl. Liv. 16,

17, 18 et 19.

1674, 12
23.
I. I!
JUS MAIESTATIS
circa

VENATIONEM,

DEO Ter Optimo Maximo auxiliante
Inclutâ Facultate Philosophicâ Academiæ
Lipsiensis consentiente

SUB PRÆSIDIO

Viri Plurimum Reverendi, Amplissimi atque Excellentissimi

DOMINI

OTTONIS MENCKENII,
SS. Theolog. Licentiat. Dignissimi,
Moralium Profess. Publ. Celeberrimi, Mi-
noris Principum Collegii Collegiati
Meritissimi.

*Dn. Patroni, Fautoris, Præceptoris ac Hospitis sui
atatem devenerandi atque suspiciendi.*

Placido Eruditorum Examine submittit

CHRISTIAN. DETHLEVUS RODE,
Itzehoâ - Holsatus.

Auctor & Respondens

In Collegio Majori Principum

ad diem 23. Maji, Anno 1674.

LIPSIÆ,

STANNO COLERIANO.

Illustrissimo & Generosissimo
Comiti ac
DOMINO
DNO. DETHLEVO,
Comiti à Rantzovv, Domino in Brei-
tenburg &c. Equiti Aurato, Inviçtissimi
Danorum Norvagorumq; Regis Consiliario, inq;
Ducatibus Holfatiæ & Slesvici Pro-Rectori Emi-
nentissimo, ut & Supremo Cubiculi Præposito,
Legionisq; Equestris Duci maxime
strenuo &c.

Comiti ac Domino suo
clementissimo

Specimen hoc Academicum

humillimè offert

Subiectissimus ac Devotissimus
Servus & Client

Christianus Dethlevus Rode.



I. N. 7.

PROOEMIUM.



DE Venationib⁹ duplex institui posse videtur disquisitio, quarum alterâ venandi ars ac solertia, alterâ jus atque potestas expendatur. Primum enim, cum in investigandis capiendisq; feris arte quâdam hodie & industriâ opus sit, nonnullum operæ futurum pretium est, si quis vel ex historia varios venandi modos & sophismata à diversis olim gentibus adhibita recenscat, vel ipsa artis venatoriæ præcepta in scientiæ modum componat. Quæ tractatio ad artes *πρακτικὰς*, quibus quæ ad vitam necessaria sunt parantur, Oeconomicae secundum *Aristotelem* 1. *Politic.* 8. ministras, haud dubiè pertinet. Deinde quid naturaliter cuiq; circa capturam ferarum liceat, & quatenus illa facultas à potestate civili limitari & restringi possit, disceptari solet. Quæ contemplatio magis fortasse, quàm prior, digna est Philosopho, & ad illam doctrinæ civilis partem spectat, quâ jura majestatis explicantur. Et utramq; quidem quæstionem occupârunt jam olim viri Eruditi, & è recentioribus non pauci pertractârunt. Nam artem venatoriam peculiari opusculô *Xenophon* complexus est, & *Oppia-*

nis in *Cynegeticis*, aliiq; tradiderunt, *Conrado Rittershusio in prolegomenis ad Oppianum* memorati: & attigerunt è recentioribus, *Guilh. Budæus lib. 2. Philologiae*, *Zuvingerus in Theatro p. 3679*, *Vossius l. 3. de Orig. & Progr. Idololatriæ c. 73.* pluresq; alii. De potestate autem venandi & juris Romani Interpretes, & publici Doctores juris, & Politici agunt, sed diversò institutò. Illi, quid Romanorum legibus de venatione definitum sit, ad 2. *Feud.* 27. §. *si quis Rusticus*; l. 28 & 29. ff. ad *L. Aquiliam*; l. 55. ff. de *A. R. D.* t. C. de *venatione ferarum*; §. 12. *Instit. de R. D.* & alibi exponunt. Isti enarrant, quænam juris venandi ex consuetudine legibusq; gentis ratio sit in Germania; Quos inter meritò primas tenet *Dn. V. L. à Seckendorff*, vir *Bæcleri in Museo p. 66.* & omnium judiciò non ad sui tantum, sed omnis ævi exemplum & memoriam Illustris, part. 3. des *teutschen Fürsten-Staats* c. 3. p. 402. sq. Hi quid in quavis Republica juris, qui summo cum imperio sunt vindicare sibi circa venandum possint, meditantur. Mihi, cum industriæ Academicæ specimen exhibere iis decrevissem, quorum concilianda mihi gratia est, aut quibus reddenda studiorum meorum ratio, non de arte quidem venatica, quæ è Venatorum fortassis scholis rectius quàm ex libris hauritur, sed de jure circa venandum Majestatico pauca commentari visum fuit; Ex Philosophiæ tamen potius fontibus, quàm legibus Romanis aut Germaniæ consuetudine, nisi quatenus illustrandæ doctrinæ inservient, definiendo. Faxit DEUS, ut propositum cedat feliciter!

§. I.

Juris vocabulum, ut argumentum propositæ dissertationis paucis illustremus, ambiguum est. V. *Grotius l. 1. de J. B. & P.*

G. 1.

c. 1. §. 3. seqq. Nobis hōc locō jus idem est, quod facultas moralis ad aliquid justè agendum, vel habendum.

§. 2.

Majestas τὸ κύριον τῆς πόλεως, summam in societate civili potestatem denotat, sive illa penes unum sit, sive penes optimates, sive penes populum. De qua ut multa h. l. dici necesse non est, ita minimè tamen prætereundum, esse eam velut totum quoddam integrale, quod in varias diversasq; particulas, prout ad diversa se objecta extendit, dividi possit. Nam sicut anima, cum qua majestatem in hoc negotio non malè comparaveris, diversas potentias e. g. intelligendi, volendi, sentiendi, complectitur: Ita potestas illa civilis è diversis facultatib; quasi componitur, quarum alia circa magistratus constituendos, alia circa ferendas leges, aliæ circa alia objecta occupantur. Atque istæ Majestatis partes Jura Majestatis, quia vi illarum facultas Majestati est ad aliquid justè agendum vel habendum, item Regalia solent appellari, nomine à Monarchicis formis ad aliorum etiam Statuum jura deductō. E quibus illud, quō de Venationibus ex usu Reipublicæ statuitur, præsentī dissertatione explicandum selegimus.

§. 3.

Solet autem Venationis vox vel generaliter accipi vel specialiter. Generaliter Venatio capturam denotat quorumcunq; animalium ratione carentium & in libertate naturali vagantium, sive terrena sint, sive volatilia, sive aquatilia; Eōq; sensu piscationem etiam & aucupium comprehendit. Specialiter eam denotat venationis speciem, quā feras quadrupedes, terrestresq; adeo animantes persequimur ac capimus; Quō sensu piscationi atque aucupio opponitur. Græcis Venatio generaliter accepta ζωθημική, venatio strictè dicta πεζοθημική, Piscatio ἀλιευτική, aucupium ὀρνιθοθημική appellatur. Confer Platonem in Sophista fol. m. 156. Nobis de jure Majestatis circa venationem sensu speciali acceptam agere decretum est: quanquam quæ de eo dicentur suō modō de jure etiam circa piscationem & aucupium capi possint.

A 3

§. 4.

§. 4.

E dictis liquet, quæstionem nobis futuram, qualis potestas in Monarchia Regi, in Aristocratiâ Optimatibus, in Democratia Populo circa capturam ferarum quadrupedum competat? Latius autem jus Majestatis circa venationem patere existimamus simplici venandi jure quod inter Regalia hîc minùs commodè pleriq; reponunt. Nam non tribuenda tantùm Magistratui summo facultas est, feras bestias capiendi, quâ tamen jus venandi, si vim vocis spectes absolvitur; sed potestas insuper, rem venatoriam certis legibus ordinandi, & aliis venationem prohibendi. Quòd si in Republica quadam venandi libertas, quæ naturali jure cuiq; competit, civibus omnibus atq; universis à Magistratu summo concedatur aut relinquatur potiùs, pro Regali certè jus venandi haberi nequit, nisi inter Jura Majestatis quis referre velit, quæ à privatis etiam promiscuè exercentur.

§. 5.

Cæterùm jus Majestatis circa Venationem confundi non debet, cum jure Majestatis circa Sylvas & nemora, quod Forestale à Germanis Scriptoribus appellatur, & affine illi quodammodo videtur esse. Quòd enim diversa illa sint, vel ex eo manifestum est, quia sylvæ alii à Principe præfici solent, qui Forstmeister dicuntur: alii rei venatoriæ, qui Jägermeister nostrò idiomate appellantur. Unde fieri etiam potest, ut ex summo Principis indultu, aut quocunque pacto alio in eadem sylva alter jus Foresti, alter jus venandi obtineat; Quanquam facili ad lites viâ, si alter alterius conditionem, quod in proclivi est, facere velit deteriorem. Videatur *Nic. Mylerus ab Ehrenbach de Statibus Imperii Rom. Germ. part. 2. c. 73.*

§. 6.

His præmissis, ut declarari rectiùs possit Majestatis circa Venationem potestas, definiendum nunc porro est, qualis foret venandi ratio, absque legibus civilibus si esset. Ubi ex Sacro Codice meminimus, concessum fuisse in Adamo à Divino Numine humano generi dominium in bestias, sic ut uti illis ac frui cuiq; esset integrum: quò per Protoplastorum lapsum magnâ
par-

parte imminutō, relicta tamen hominibus potestas fuit, feras quā
possent ratione capiendi & in usum adhibendi suum. Quod si
ergo cum *Grotio l. 2. de J. B. & P. c. 2. §. 2.* aliisq; supponamus
primævam quandam rerum omnium communionem, licuit
certè cuivis quōcunq; locō venari, & feras ubicunq; deprehen-
sas comprehendere, nisi ab aliis captæ jam essent. Namquæ alia-
rum rerum in statu tali ratio fuit, ut occupanti cederent, eadem
fuit & ferarum bestiarum, ut capi ab omnibus possent, illi verò,
qui cepisset eā intentione, ut in usus suos illas converteret, eripi
non possent. Quod à naturali potiùs æquitate, quàm tacitâ inter
mortales conventionem derivandum videtur. Sin dominiorum
distinctionem supponas, sive ea cum orbe ipso ceperit, sive arbi-
triō hominum fuerit introducta, rationi conveniens est, potesta-
tem venandi naturalem ejus, quem quisq; possideret, agri fini-
bus fuisse circumscriptam.

§. 7.

Equidem non diffitemur, potuisse de eo aliter atq; aliter
statuere, qui in societatem civilem primi coiverunt. Fieri enim
potuit, ut agros quidem illi dividerent inter se, jus verò feras ubi-
cunq; locorum deprehenfas capiendi commune omnibus relin-
qui vellent, seu ut voluptas, quæ ex venatione percipitur, eò ma-
gis integra esset, datâ quàm latissimè evagandi licentiâ, seu quòd
placeret cives ad dandam venationibus operam, quibus ad belli
usus corpora animiq; præparantur, quōcunq; modò allici. Vi-
cissim fieri potuit, ut discretō agrorum dominiō feras etiam in
iis vagantes, solis agrorum Dominis capiendas assignarent, reli-
quis venandi eos causa ingredi prohibitis. Verùm illud in civi-
tatem coeuntium decretum quodcunq; fuerit, vim jam legis ha-
bet. Ubi verò de pacto tali planè non constat, ea illorum præsu-
mitur fuisse voluntas, quæ æquissima, & præpediendis litibus
maximè accommodata est, id est, ut in suo quisq; agro venaretur.
Quotus quisque enim est, qui non malit alienis agris abstinere,
quàm pati, ut suum agrum promiscuè quivis venandi gratiâ
ingrediatur, feramq; in suo jam fundo commorantem interci-
piat? Unde Romanorum etiam legibus, quibus venari cuique
concessum est, prohibemur tamen alienum agrum venandi
causâ ingredi.

§. 8.

Cum ergo naturali jure permiffum cuiq; fit, feras vel quocunq; in loco dominiis nondum secretis, vel in suo agro feftari & apprehendere, videamus jam, quomodo à Majestate in civili focietate licentia illa fuis circumfcribi limitibus poffit. Ubi placet *Boecleri à xpifto Besa*, qui ad l. 2. *Grotii c. 2. p. 62.* probè monet, quòd differat, prohibere fingulos venatione, & uni Principi, aut iis penes quos fummum in civitate imperium eft, jus venationis vindicare. Nimirum duo capita funt Juris Majestatici, quod circa venationes fe exferit; Primum quò Majestati facultas competit, venationem civili ordini certis legibus accommodandi, & quod permiffum jure naturali erat, feu juffu reddendi debitum, feu prohibitione illicitum: Alterum, quò Majestati potestas eft, redditus qui ex ferarum captura percipiuntur, fisco ad dicendi, inq; ufus convertendi publicos. Illud ad potestatem legiflatoriam omnino pertinet, ad quam à *Platone* etiam l. 7. de legibus p. 902. relatum expreffè eft: hoc ad dominium, quod Majestati in territorium competit, & potestatem ærarium constituendi non incommodè reducitur. De utroq; dicendum pluribus.

Et primum quidem, quin legiflatoria Majestatis potestas ad ferarum etiam capturam extendatur, dubitari vix potest. Cum enim focietatis civilis omnino interfit, venationem ordinatè & non è privato cujusq; arbitrio peragi, & sanciri leges debent, quibus controversiæ quæ evenire inter venatores poffunt, decidantur, & ipsum venandi exercitum certo hominum generi potest injungi, aliis venatione, prout civitati conveniens judicabitur, prohibitis. Pone liberam omnibus venationem esse, dubitari tamen potest, utrum fera illi acquiratur, qui eam vulneravit, an qui primus ab alio licet vulneratam cepit: fitne fera ejus, qui laqueos posuit, an qui laqueo irretitam solvit: num dominium feræ jam captæ amittatur, si è custodia nostra elapsa fuerit? Eas verò atq; fimiles quæstiones non adeo liquidò è naturali jure decidi poffe, vel ipsa eruditorum circa eas diffensio argumento est. V. *Grotium 2. de I. B. & P. c. 8. §. 2. sqq.* atq; ibi Interpretes: *Molinam de just. & jure tract. 2. disp. 42.* Unde non
cessa-

cessabunt facile circa hæc negotia lites, nisi legibus civilibus statutum de iis fuerit.

§. 10.

Porro, ut certo civium generi, aut omnibus etiam promiscue venandi studium imperetur, evenire possunt, quæ svadeant. Si enim nocivarum bestiarum major, quam qui coerceri facile possit, numerus existat, quis dubitet, posse à Magistratu summo legem ferri, quâ jubeantur cives, prosequendis illis & extinguendis, quicquid à negotiis ordinariis vacat, tribuere. Unde in multis Rebus publicis præmia illis destinantur, qui rapacem aut venenatam feram sustulerint: in quibusdam etiam tributum nomine nocivorum animalium capita aut pelles subditis imperatas novimus. Quo instituto Edgarus olim Anglorum Rex Ludovallo Vallorum principi vectigalis nomine in annos singulos tricenos lupos imperavit, quò genus tam malefici animalis & gregibus ovium valde perniciosi, quod tunc in ea Insule parte valde abundabat, prorsum deleteretur, ut apud *Polydorum Virgilium* est lib. 6. *Hist. Angl. p. m. 152.* Nec ignota aliorum Angliæ Regum solertia est, qui ut totam luporum progeniem extinguerent, veniam delictorum facinorosis eâ lege facere consueverunt, ut certum lupinorum capitum numerum multæ quasi locò rependerent, V. G. *Hornius in Orbe Polit. pr. 1. Can. 8. de Regno Britannia.*

§. 11.

Cùm verò venatio velut simulacrum quoddam belli sit, quò ad militiæ labores durari ac erudiri homines possunt, è re civitatis omnino est, ut venationibus assuefiant, quibus commissa cura est, armis eam adversus hostes tuendi. Quem in finem Cretenses olim, *Strabone lib. 10.* teste, juventæ in certas classes divisæ præfectos dabant, à quibus in venationem subinde educerentur: et Lucani liberos suos, ut *Alex. ab Alexandro 2. Gen. dier. c. 25.* testatur, à prima infantia, aut secundum *Justinum l. 23. hist. c. 1.* ab initio pubertatis educabant in sylvis, fontium liqore in potum, prædâ venaticâ in cibum propositâ. De Persis *Xenophontem* vide 1. *Cyropæd.* Scilicet rudimentum militiæ & quasi præludium est ferarum venatio, quâ & armorum usus, & in feriendis

B

ho-

hostibus pernitas & vigilæ laborumque tolerantia comparatur. Quis enim non in bello egregiam sibi operam ab iis polliceatur, qui ut cubilibus feras excuterent, lustrare saltus, imensa que montium juga superare & horrentibus scopulis inferre gradum, qui certare cum fugacibus bestiis cursu, cum audacibus labore, cum callidis astu, famemque ac sitim, calorem ac frigus pati istâ exercitatione didicerunt; eam haud dubiè industriam, quâ immanes feras aggredi consueverunt, ad debellandos etiam homines adhibitori.

§. 12.

Sicut autem ad venandi studium præmiis etiam invitari solent, qui rem bellicam tractant: ita gravissimæ causæ esse possunt, ob quas reliquis venatione lege publicâ interdicatur. Primum enim si cuivis promiscuè venandi facultas indulgeatur, futurum est, ut agricultura, pastoritia aliæque artes, quas exerceri Reip. interest, negligantur; & qui agro colendo aliisque negotiis vacare debebant, munere suo relicto per sylvas vagari & feras insectari malint. Quotusquisque enim est, cui non suus labor, quem in agricultura, pascendis pecoribus, aliisque vitæ generibus ponit, molestus sit atque gravis? Contra Venatio eam conjunctam habet delectationem, ut sui cultores mirâ quâdam dulcedine inescet, ipsaque circa venandum occupatio, quæ operosa valde est, jucunda tamen et grata plerumque existat. Unde promiscua illa venandi licentia, egestatis etiam futura multis causa esset; ut solent homines in iis maximè rebus profundere patrimonia, quibus delectatio ac voluptas paratur. Multos Nobiles & in re lauta constitutos venandi furor evertit, dum opes cum canibus currunt, cum accipit re avolant: quid plebejis & tenuioribus eveniet, quorum bona suntibus, quos venatio requirit, minimè sunt paria?

§. 13.

Accedit, quod verendum sit, ne, si omnibus venari liceat, venationum prætextu prædatoria exercentur, & multi homines magis, quam bestias venatum exeant. Nam perpetua illa in sylvis commoratio, ferarumque mactatio homines ipsos efferare solet ac truculentos reddere. Adeo multis contingit, quod Actæoni
in

in fabula, ut, dum feras persequuntur, in feras ipsi commutentur. Nec exempla desunt eorum, qui è venatoribus facti latrones, non dubitarunt crudelitatem in beluas exercendam convertere in homines. Unde apud Patres quoq; nonnullos malè venatores audiunt; quibus observatum fuit, pilcatores quidem sanctos, non verò venatores in sacris literis memorari. Bonos autem mores non legibus tantùm latis, sed occasione etiam peccandi remotâ promovere, in Magistratus summi potestate imò officio est.

§. 14.

Deniq; (ut taceam, genus ferarum extingui posse, si cives omnes capiendis illis dent operam, fructumq; adeo venationis, dum singuli venantur, periturum universis.) nec armorum usum, sine quo tamen venatio propemodum peragi non potest, civibus cunctis aut semper concedi expedit. Multi enim uti armis nesciunt, dum avidè nimis feras sectantur, mutuis fortasse vulneribus conficiendi. Cumq; illi etiam, qui armis assveti à juventute sunt, cùm venatum eunt, periculis se quamplurimis exponant; quid futurum est, si venari cuivis, & arma, quorum tractandorum rudes multi sunt, expedire liceret? Quod si leve, nec ad prohibendam venationem validum satis putas, in ea tamen tempora incidere Respublica potest, quibus vel dissidentibus inter se subditis, vel ortâ inter imperantes & parentes similitate, ad seditionem ac civile bellum res spectet. Quo casu, ut omni armorum usu, ita venatione quoque, quæ armis perficitur, prohiberi posse subditos, manifestum est. Hinc cùm in Sicilia post bellum servile Prætorum edictis prohibitum esset, ut ne quis cum telo servus esset, L. Domitius veritus non fuit in crucem tollere servum, quòd ingentem aprum venabulo percussisset. De quo Cicero sub initium *Actionis 7. in Verrem.*

§. 15.

Atque hanc, quam Majestati hæcenus vindicavimus, de venationum exercitio legibus publicis statuendi potestatem, in plerisq; Rebus publicis à Magistratu summo fuisse usurpatam, non difficile probatu foret. E Romano jure loca quædam in præmio indicavimus, quibus de Venationibus disponitur.

Num verò jam Fridericus Imperator 2. *Feud. 27. §. si quis rusti-*
cus, omni venatione, an in alieno tantùm fundo, interdictum
suis voluerit, Jcti disquirunt. *Vid. Sixtinus 2. de Regalibus c. 18. §. 4.*
seqq. Jure Canonico Clerici venari prohibentur, *Clement. 1. de sta-*
tu Monachorum §. porro, iidemq; in *Concil. etiam Trident. Sess. 24.*
c. 12. ab illicitis venationibus & aucupiiis jubentur abstinere.
Quæ venationum apud Hebræos jura fuerint, à *Seldeno 6. de J.*
N. & G. c. 4. relatum est. Nostris moribus in plerisque Europæ
Rebuspublicis venatio relicta Imperantibus est, qui facultatem
ejus aliis, Nobilibus præsertim, pro arbitrio faciunt. Certè in
Germania plebs à Venationibus, paucis exceptis locis, arcetur,
venandiq; jus inter jura superioritatis, ut vocant, territorialis
referri solet; nisi quòd Nobiles etiam aliiq;, qui prædia nobilia
possident, superiorum beneficio vel feras quascunq;, vel mi-
nores tantùm capiendi potestate ut plurimùm fruantur. *Vid.*
omnino Mylerus ab Ehrenbach part. 2. de Princ. Imper.
cap. 73.

§. 16.

Haftenus de primo Juris Majestatici circa venandum ca-
pite, quod à potestate legislatoria dependet. Restat alterum,
quo facultas Magistratui summo competit, omnem, qui ex fe-
rarum captura percipi potest, fructum sibi ac ærario vindican-
di. Quæ duo distinguenda à se invicem esse §. 8. cum Boecle-
ro monuimus; cum singuli venatione prohiberi possint, etiamsi
præda venationis ad omnium aut plerorumq; usum, instituta
venandi formula & consuetudine, perveniret. Posterius autem
illud à dominio Majestatis in territorium, & singulorum civium
bona, quod eminentis vocant, derivandum censent *Job. Frid. Hor-*
nius l. 2. de Civitate c. 3. Heinr. Henninges ad 2. Grotii de J. B. & P.
o. 2. p. 366. pluresq; alii. Nimirum duabus illi partibus præcipuis
Majestatem absolvunt, imperiò in personas, & dominio in re-
gionem subjectam seu territorium, ipsaq; civium singulorum
bona. Illud legislationis fundamentum est: hoc tum dominium
complectitur in bona publica, i.e. in publicos usus seposita,
nec transcripta in subditos, tum potestatem, privatorum etiam
fa-

facultates, si Reipublicæ ratio ita postulet, occupandi, aut partem fructuum, quos è bonis suis capiunt, decerpenti. Ex quo facile deduci potest jus illud, quò Magistratus summus feras seu in locis publicis, seu in privatorum agris captas sibi soli vindicat.

§. 17.

Sed hic scopulus occurrit, quem præternavigare, si fas erit, allaborabimus. Sunt enim, qui etiam si Majestati dominium aliquod in bona publica non denegent, negant tamen Majestati eminentis aliquod dominium in bona privatorum competere. Unde de dominio eminenti magno fervore videas in recentiorum Politicorum scriptis disputari. Quæ lis de voce potius, quam re ipsa videri queat. Utrinque enim conceditur, à summo Magistratu privatorum etiam invidiorum bona, si Reipublicæ salus ita exigat, posse occupari, & in usus publicos converti. Neque id temere quis negaverit, si subditorum respiciatur munus, quò bona ac vitam etiam suam pro salute Reipublicæ tenentur profundere: si vis Majestatis, quâ cogere subditos, si ultro fungi officio non velint, potest. Illa verò Magistratus summi facultas num dominium dici propriè debeat, nec ne, de eo lis sub judice est. Unde *Dn. Leiferus quoque dissert. de imperio contra dominium eminentis §. 3.* verbis, non re à se dissentire fatetur, qui dominium eminentis necessitate ac utilitate publicâ circumscribunt.

§. 18.

Nobis litem illam, si de nomine, si de re ipsa fuerit, decidere, animus non est; neque, ut ea hòc locò decidatur, necesse est. Mittamus ergo domini eminentis vocem, quia suspecta nonnullis aut exosa est; & alterum hoc juris Majestatici circa venationem caput cum *Bœclero ad 2. Grotii de J. B. & P. c. 2. p. 62. § 2. Instit. Pol. c. 11.* ad stipendia Principum remq; tributariam referamus. Id enim à nemine vocari in dubium potest, in qualibet civitate bona quædã & redditus publicos constitui debere, privatorum dominio exemptos, è quibus dignitatè sustineant,

B 3

qui

qui summo imperio potiuntur, & erogationes nomine publico fiat,
& sumtus alii hauriantur, quibus carere nullo tempore Respu-
blica potest. Sive enim cum J. F. Hornio 2. de civitate cap. 1. Ma-
jestatem Imperantibus ab ipso DEO immediatè conferri, sive
cum aliis voluntate eorum, qui in societatem civilem coeunt,
DEO negotium occultè dirigente, concedi statuas; nulla confi-
stere Respublica potest, nisi stipendium imperantibus & ad
publicos usus ararium conficiatur. Quò positò, tribuenda
omnino Magistratui summo facultas est, redditus qui ex venatio-
ne capiuntur, sibi vindicandi, seu in partem stipendii, apparatus-
que mensalis & aulici, seu ad alios Reipublicæ usus; præsertim
eum id minimo cum damno subditorum, à quibus capi feræ si-
ne onere & sumtibus non possunt, fieri videatur.

§. 19.

Sicut ergo jus viarum, fluminum, portuum, metallorum,
bonorum derelictorum, thesauri, sylvarum, & ejus generis alia
ad redditus publicos referri solent; ita ad eosdem, si visum ita
Imperantibus fuerit, venationis fructus pertinent. Neque ha-
ctenus, ut rectè Bœclerus ad 2. Grotii c. 2. p. 62. observat, mul-
tum opus est disputare de consensu populi, qui tacitè consensisse
semper putandus est, ut summa potestas res hujus generis ordi-
net, prout civitati conveniens judicabitur. Multò minùs ad lon-
gi temporis præscriptionem, quod faciunt hoc loco multi, con-
fugiendum est, quæ, ut idem Bœclerus l. c. monet, ad docendos
rudiores pertinet, neque ubi titulus juris validior subest, magno-
pere desideratur.

§. 20.

Impugnari verò Majestatis illud circa venationem jus ex
eo solet, quòd DEUS hominibus cunctis dominium in bestias
dederit, & venationem ad eò omnibus communem esse volue-
rit. Ita enim Adamum & Evam DEUS alloquitur Gen. 1. v. 28. 29:
*Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & do-
minamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus,
quæ moventur super terram.* Similem in modum Noachum
etiam ac filios ejus post diluvium, Gen. 9. vers. 2: *Terror vester
ac tremor sit supra cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœ-
li,*

li, cum universis quæ moventur super terram, omnes pisces maris, manu vestra traditi sunt. Et omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Quibus utiq; verbis in Adamo & Noacho ejusq; liberis, universo humano generi facultas concessa est, teras bestias occupandi, iisq; utendi ac fruendi pro arbitrio. Quòd si ergo divino, & ut confessi §. 6. & 7. sumus, naturali jure venandi licentia omnibus competat, leges autem civiles adversari naturali ac Divino juri non debeant, per injuriam sibi soli jus venandi asserere, aut præcipuis tantum civibus indulgere, summus Magistratus videtur.

§. 21.

Habet id dubium ad turbandos simpliciores non parum fortasse momenti. Cui ut respondeatur, distinguendum accuratè est, inter ea, quæ jure naturali & divino permittuntur, & quæ illo jure præcipiuntur aut prohibentur. Quæ præcipiuntur divino aut naturali jure, prohiberi à potestate civili non possunt; sicuti & ea, quæ naturali jure prohibentur, civili lege non possunt præcipi. Quòd si in his leges à Magistratu latæ divinis naturalibusque legibus repugnent, vim obligandi nullam habent: quia DEO magis quàm hominibus obtemperandum. At alia illorum ratio est, quæ divino aut naturali jure permittuntur. Ea enim & juberi possunt & prohiberi à civili potestate, prout Reipublicæ rationibus convenit. Quæ si ad præsens negotium applicemus, manifestum est, venationem non præceptam hominibus à divino Numine, sed permissam fuisse; quæ prohiberi proinde civibus quibusdam, quibusdam præcipi, prout Magistratui visum fuerit, possunt.

§. 22.

Cæterum, quicquid hætenus Juris Majestati circa venationem vindicavimus, id capiendum ita est, ne quid Respublica capiat detrimenti. Quod fieri tribus potissimum modis potest, si imperantes neglectâ Reipublicæ curâ in venando nimii sint; si periculis temere, quæ haud levia in venationibus posita sunt, se offerant; si segetem corrumpi patiantur,
sua.

suaque voluptati cum damno subditorum indulgeant. Ergo primum ita vacare venationi Princeps debet, ne officio regendi Rempublicam desit, ejusque partes ullas negligat, Ferdinandum I. Imperatorem imitatus, cujus ut in aliis, ita venationum etiam usu prudentiam eleganter descripsit, & in exemplum proposuit *Busbequius sub finem epist. 4. legationis Turcicae.* Deinde providus sit oportet, ac cautus Princeps, cum venatum proficiscitur; memor ejus, quam sustinet, personae, in cujus incolumitate salus Reipublicae vertitur. Quanta saepe pericula lubeunda Principibus fuerint venationi fervide nimis incumbentibus, quamque illa male multis cesserit, ex Historia patet. V. *Zwingerum in theatro p. 537.* Et memorabile potissimum est Maximiliani I. Imperatoris fatum, qui cum ad venandum propensus nimis esset, & ipse variis periculis obiectus subinde fuit, & utramque conjugem, Mariam Burgundam, ac Blancam Sfortiam eqvo inter venandum excussas, miserabili casu amisit. V. *Strada, Dec. 1. de bello Belg. l. 1. p. m. 37.* Denique id agere Princeps debet, ne vel ex ferarum frequentia agri subditorum vastentur, vel earum capiendarum causa conculcentur segetes, lacrymisque adeo subditorum venandi voluptas pascatur. Optimè Fridericus III. Elector Saxoniae; qui, Luthero in cap. 25. Genes. teste, ita venabatur, ut nemini obesset, pluribus prodesse magis; si quando vel exiguum damnum datum intelligebat, solvebat id duplo. Saepe et rusticis aliquot modios frumenti distribuebat, ut esset, quod fere depascere.

§. 22.

Possent haec de Jure Majestatis circa venandum sufficere, nisi disquirendum adhuc esset, furtumne committant, qui contra interdictum summi Magistratus venantur, & quae poena illi sint afficiendi? Et primum quidem quod attinet, videndum ante omnia, num ferae, quamdiu in naturali quasi libertate vagantur, in dominio tamen Principis, cui soli eas capiendi jus est, esse intelligantur. Id enim si affirmetur, furtum proprie dictum censendus est com-
mit-

mittere, qui feras adversus mandatum Principis capit, quia rem alienam, quæ definitio furti est, invito Domino eripit. Sin statuamus feras, antequam à Principe captæ sunt, non in dominio Principis, sed nullius esse, non furto quidem is se alligat, at delicto tamen furto admodum affini. De eo ergo primum dispiciamus.

§. 24.

Ubi disidentes à se invicem video juris naturæ, nam de eo sermo hinc nobis est, Doctores. *H. Grotius 2. de l. B & P. c. 8. §. 5.* ita hac de re pronuntiat: *potuit lex etiam ante occupationem harum rerum dominium transferre, cum ad dominium producendum lex sola sufficiat.* Ergo ex Grotii mente, in feras, etiam antequam captæ sunt, vi legis, qua Principi illæ addicuntur, dominium Principi acquiritur. Contra alii censent, posita quamvis ejusmodi lege, dominium tamen in feras non competere Principi, antequam apprehensæ fuerint. Atque hi iterum in partes abeunt. *Sam. Pufendorfus 4. de l. IV. & G. v. 6. §. 7.* negat quidem, feras antè in dominio Principis esse, quàm captæ sint, at fatetur tamen, si quis privatus feram contra interdictum Principis ceperit, eum ista apprehensione dominum feræ non reddi, sed Principi eam ultroneâ, licet parum gratâ operâ acquirere. Alii verò ita negant, in dominio Principis feras esse, cum apprehensæ nondum sunt, ut eas acquiri illi statuunt, quicumque eas primus, invito licet Principe, ceperit. Sic enim illi docent: impediri lege posse, ne feræ capiantur, sed ut capiendo non acquirantur, impediri lege non posse. Diversas esse quæstiones, utrum aliquis acquirat capiendo, & utrum liceat hoc acquirendi modo uti. In primâ quæstione nihil posse Majestatem: in secunda verò liberum esse Principi imperium. Quæ sententia Magn, etiam *Ziglero ad 2. Grotii c. 2. §. 5. & c. 8. §. 6.* placuit, quem *Henricus Henniges*, quod mireris, & refutat ad priorem, & sequitur ad posteriorem *Grotii locum*, sui, ut apparet, non ubique satis memor.

§. 25.

Altioris ista controversia videtur indaginis. Nobis verò hætenus, cur Grotii sententia rejiciatur, non prægnans satis causa visa fuit. Primum enim, positâ lege, quâ subditis venatione interdicitur,

dicitur, non videtur feræ dominus fieri, qui contra superiorum interdium eam ceperit. Neque enim ad acquirendum dominium nuda rei alicujus apprehensio, quæ actus merè physicus est, sufficit, sed requiritur, ut qui dominus rei effici cupit, jus illam apprehendendi habeat. Deinde feræ ipsæ, quæ & quamdiu in territorio Principis commorantur, morali æstimatione in dominio Principis esse censentur. Quod si enim vis domini in eo sita est, ut de rebus, quæ tamquam propriæ ad nos pertinent, pro arbitrio nostro disponere, & ab earundem usu quosvis alios arcere possimus: quidam Principi in feras, quæ in sylvis ac territorio ejus vagantur, dominium tribuamus, cum & capere illas, & capiendas aliis concedere, & ab illegitimo captore vindicare queat. Nec obstat, quòd feræ à Principe captæ nondum sint, & si in territorium alienum migraverint, vindicari nequeant. Dominium enim rei cujusdam cum in modum capiendum est, quem naturæ ipsius conditio admittit. Neque requiritur ad dominium, ut dominus rem possideat, sed ut jus rem tenendi & habendi obtineat. Quòd si feræ è territorio Principis migrent, desinunt esse Principis, fiuntque illius, cujus territorium ingressæ sunt: quomodo fera etiam quæ capta jam est, secundum §. *feræ igitur bestie Instit. de R. D. tua esse desinit, cum custodiam tuam evaserit, & in libertatem naturalem sese receperit.*

§. 26.

Atque hinc, ut ad alterum accedamus, manifestum est, eadem pœnâ affici posse, qui feras contra edictum Principis venantur, quâ afficiendi fures sunt. Illius autem, ut pœnarum aliarum, mensura non delicti tantum gravitas est, sed Reipublicæ etiam *avragneia*, ex cujus sine proportio inter pœnam & delictum definienda est. Quin verò capitali quoque supplicio puniri possint, qui feras surripiunt, si Reipublicæ ita salus requirat, dubitare vix potest, qui legit, quæ à B. Carpzovi *pr. 2. Præf. Crimin. quest. 84.* ea de re tradita sunt. Qui nobis etiam, rationibus severitatis in eos, qui venationi interdictæ operam dant, exquisitè ac subtiliter, Bœcleri *l. sepe c. judicio*, consignatis, otium hinc fecit, filumque jusfit, non allatu-ros utique meliora, abrumpere.

D. T. Q.

Madrigal.

S O reißt ein Geist sich los
Den Feuer rühret/
Was Staub und Erde führet/
Nicht seine Lust nicht allzugroß.
Es träumt ihm nur von Ehren-Kronen
Wie jenem Hannibal/
Sein reger Fleiß pflegt seiner nicht zuschonen/
Er weist sein Thun und Klugheit überall/
Und stirbt er denn
So lebt er doch in seinen Sachen;
Ich wil auf dich die schöne Deutung machen/
Geehrter Freund! dein Thun bricht aus/
Dein Sinn hat sich der Eitelkeit entrissen/
Wir sehen/wie dein Fleiß besteht/
Glück zu! du lebst/wenn andre sterben müssen/
Wol dem/der so/wie du/bey Göttern geht.

Mit diesen wenigen Zeilen hat seinem
werthgeschätzten Freunde und
Landsmanne glückwünschen
wollen

ECCARDUS THODE,
Itzehoâ Holfatus.

Er


LX / Werther / der sich hat den Mäusen ganz ver-
schworen/
Stellt uns aniezo für das Recht der Jägeren :
Er hat durch diesen Fleiß sich grossen Ruhm erkohren/
Ein jeder sagt / daß er sehr wol erfahren sey.
Das Glück laß ihm auch nach Wunsch die Ehr erjagen/
Darzu ihn sein Verstand mit schnellen Tritte führt/
Er aber lasse zu daß ich von ihm mag sagen/
Ich hab' erjagt die Gunst / die mir doch nicht gebührt.

Mit diesen wenigen hat seinen werthen
Freund und Stubengesellen nach
Schuldigkeit beehren wollen

OTTO MENCKE.
Oldenburgensis.








Leipzig, Diss., 1674 (1)

ULB Halle
003 741 788

3




TA → OL

f

nur 1+7 Stück vertrieben

VJ 17





23.

1674, 12

I. I!
JUS MAIESTATIS

circa

RENATIONEM,

DEO Ter Optimo Maximo auxiliante
utâ Facultate Philosophicâ Academiæ
Lipsiensis consentiente

SUB PRÆSIDIO

Plurimum Reverendi, Amplissimi atque Excellentissimi

DOMINI

STONIS MENCKENII,

Theolog. Licentiat. Dignissimi,
alium Profess. Publ. Celeberrimi, Mi-
noris Principum Collegii Collegiati
Meritissimi.

*n. Patroni, Fautoris, Præceptoris ac Hospitis sui
atatem devenerandi atque suspiciendi.*

Placido Eruditorum Examine submittit

CHRISTIAN. DETHLEVUS RODE,

Itzehoâ - Holsatus.

Auctor & Respondens

In Collegio Majori Principum

ad diem 23. Maji, Anno 1674.

LIPSIÆ,

STANNO COLERIANO.

79

